Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mante scribitur et signatur. Iacinctizonta inde dicitur est
iacinctum prope referens. Quidam autem est talis similis
capillamenti intercurrentibus obscurantur. Ergo et
uitio illorum nomen est. Ametistizontas appellatur
quae ex extremo igniculus in ametisti uiola exit. Cele
donia ex hirundinum colore uocata, et duorum est
generum. Quarum una ex alta parte purpurea et alia pu
rpurea nigris intuementibus maculis. Cianea
scithiae gemma ceruleo corusca nitore. pur
pura intus et punctulis intermicantibus auratis
puluisculis uarians. Roditis rosea est et ex eo nomen.
Margarita prima candidarum. De candidis. Accepit
quidem margarita autem uocatum quod in conculis mari
hoc genus lapidum inueniatur. Inest enim in carne cocleae
calculus natus, sicut in cerebro piscis lapillus. Gignitur
autem de celesti rore quem certo anni tempore conculae
hauriunt. Ex quibus margaritis quaedam uniones uo
cantur, aptum nomen habentes quod tantum unus numquam duo
uel plures simul repperiantur. Meliores autem candidae
margaritae quam quae flauescant. Illas enim aut iuuen
tus aut matutini roris conceptio reddit candi
das, has senectus uel uespertinus aer gignit obscuras.
Pederos secunda post margaritam candidarum gemmarum
de qua agitur in quo colore numerari debeat, toties
iactata per alienas pulcritudines nominis adeo ut
decoris prerogatiua uocabulo facta sit. Aste
rites candida est inclusam lucem continens ueluti
stellam intus ambulantem redditque solis candidan
tes radios, unde et nomen inuenit. Galatides lacte
est gratior, reddit sucum album ad lactem saporem,
feminis nutrientibus illigata fecundat ubera in
fantium, quae collo suspensa saliuam facere fertur.
ore eam mitti (uel liquescere) et memoriam adimere. Mittunt
eam Nilus et Achelous amnes. Sunt qui smaragdum albis
uenis circumligatum galacticen uocant. Galatias
grandinem et candorem perfert et figuram. Duritia
inuicta ita ut adamans et in igne posita manere
suum frigus. Solis gemma candida est, tenetque nomen
quod ad speciem solis in orbe fulgentes spargit ra

dios. Solenites translucet candido melleoque
fulgore continens lunae imaginem, quam iuxta
cursum astri ipsius perhibent in dies singulos minui
atque augeri. Nascitur in Persida. Cimedia inuenitur
in cerebro piscis eiusdem nominis candida et oblonga.
Presagire his feruntur magi signa tranquillitatis uel tempes
tatis. Belloculus albicans pupillam cingit nigram
e medio aureo fulgore lucentem, et propter speciem
Assiriorum regi Belo dicatam, unde et appellata.
Epimelas dicitur cum in candida gemma superne nigrat
color, unde et nomen habet. Exebenus speciosa et can
dida, qua aurifices aurum poliunt. De nigris.
Achates reperta primum in Sicilia iuxta flumen eiusdem nominis
postea plurimis in terris. Haec autem nigra habens in medio circulos
nigros et albos iunctos et uariatos, similis ematiti. Magi
suffitu earum si credunt tempestates auertunt, flumina sistunt.
Absictos nigra et ponderosa distincta uenis rubentibus.
Haec excalefacta igni septem diebus calorem tenet.
Egiptilla nigra est radice, cerulea facie. Ex Egipto
ubi inuenitur uocata. Media nigra est a Medea illa
fabulosa inuenta, habet uenas aurei coloris, sudo
rem reddit croci, saporem uini. Vegentana Italica
gemma est a Ueis reperta, nigra facie albis intermicantibus
notis. Bariptos nigra est cum sanguineis et albis notis.
Meramelas nigra uena quadam libet colore secante per medi[..]as.
Veneris crines nigerrimi nitoris continens in se speciem
rufi crinis. Tricus ex Affrica nigra est, sed tres sucos
reddit, a radice nigrum, e medio sanguineum, ex
summo ocreum. Dionisia nigra intertis rubentibus notis
ex aqua trita uinum flagrat et odore suo ebrietati resi
stere putatur. Pirritis nigra quidem, sed attritu digito ad
Pangrus uariis ex omnibus pene De discoloribus. urit.
coloribus constat, unde et nominatur. Olca barbari nominis ex nigro et fulua
uiridique et candido est. Mitridax sole percussa coloribus
micat uariis. Gignit in Persida. Droselitus uarii nominis
causa quod si ad ignem applicetur uelut sudorem mittit.
Oppalus distinctus diuersarum colore gemmarum. Est enim in eo car
bunculi tenuior ignis, ametisti fulgens purpura,
smaragdi uirens uiriditas, et cuncta pariter subquadam